

abbati monasterii in Homborg ordinis sti. Benedicti et Gunthero plebano in Graba salutem in domino. Officii nostri debitum, quod reformationem subditorum invigilat, fama clamorque validus excitarunt ad inquirendum super eo, quod inter fratres domus predicatorum de Molhusen nostre dyoc. ex una et plebanos ac fratres ordinis Theut. veteris et nove civitatis ibidem parte ex altera occasione cuiusdam funeris in ecclesia sancti Blasii tempore divinorum gravis insolencia, que permaxime impingebatur plebanis et fratribus de domo Theut. supradictis, dicebatur in dei iniuriam et scandalum hominum esse facta. Propter quod nos non valentes factum huiusmodi nec volentes sub dissimulatione aliquo pertransire inquisitionem super eo fieri fecimus vicibus iteratis per certas personas ad hoc deputatas a nobis, que in dicto inquisitionis negocio procedentes dicta testium per ipsos pro instructione negotii receptorum inclusa nobis fideliter remiserunt. Quibus inspectis et examinatis diligenter et communicato consilio sapientum, quia non invenimus plebanos et sibi assistentes huiusmodi insolencie fore reos, sed sua iura potius defendisse quam noxe in hoc offendicula contraxisse, nos ad uberiores ipsorum plebanorum innocenciam ostendendam ab ipsis expurgacionis recipimus iuramentum. Predictos plebanos et suos pronunciantes immunos (!) et culpe innoxios in hoc facto discrecioni vestre sub pena suspensionis ab officio vestro districte precipiendo mandamus, quatenus predictos plebanos et suos, ut habeantur pro talibus (a) parrochianis et populo dicti loci, publice nuncietis. Per premissa vero non intendimus nec volumus compromisso, quod predicti fratres Theut. et predicatorum ordinum inierunt, in aliquo derogare nec ipsis predicatoribus adimere actionem, si quam iure ordinario prosequi voluerint contra fratres ordinis Theuton. supradictos. Quod si ambo hiis exequendis interesse non poteritis, unus vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Moguncie III<sup>o</sup> Idus Novembris anno domini MCCC<sup>o</sup> decimo nono.

Copialbuch der B. Th. von 1392 fol. XXXVIII. im Dresdener St. - A.

1319 Dez. 2.

752.

*Landgraf Friedrich von Thüringen weist die Stadt Mühlhausen an, die ihm schuldigen 76 Mark Silber ihren genannten Mitbürgern und diesjährigen Landfriedensrichtern auszuzahlen.*

Fridericus dei gracia Thuringie lantgravius, Misenensis et Orientalis marchio dominusque terre Plisenensis prudentibus viris .. magistris consulum .. consulibus et civibus in Mulhusen sibi dilectis salutem cum plenitudine omnis boni. Septuaginta et sex marcas argenti puri nunc in festo beate Walpurgis proximo nobis nomine census per vos dandas Henrico de Kevernhusen et Henningo Thutonis et ipsorum nomine Gunthero Margarethe et Kirstano de Langelo vestris concivibus hoc anno de numero pacis conservatorum assignavimus et presentibus assignamus petentes, ut predictas septuaginta et sex marcas ipsis vestris concivibus nostri